



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXXII. De Irregularitate ex homicidio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XXXII.

De Irregularitate ex Homicidio.

Sempronius & Cajus in quadam rixa Titio multa gravia vulnera inflixerunt, ita ut iste paulò post mortuus fuerit. Post aliquod tempus Sempronius ad Sacerdotium aspirat: verùm cùm hujus rixæ memor esset, insuper adhibita omni morali diligentia rescire non posset, utrum à se vel à Cajo Titio vulnera inflicta fuerint; hinc ex aliquo

Quærit, utrum etiam Irregularitas contrahatur, si post diligentem de facto homicidio inquisitionem adhuc dubium maneat, an à se vel ab alio homicidium fuerit commissum.

Synopsis.

1. Sempronius tam in foro interno, quàm externo irregularitatem contraxit.

2. Quando contrarium in certa materia est definitum, non est melior conditio possidentis.

3. Ad incurrendam irregularitatem ex homicidio non requiritur Judicis sententia.

4. Tali prohibita est administratio Ordinum superiorum & inferiorum.

5. Non debet esse moraliter certum delictum, si etiam de eo dubitans à jure condemnatur.

6. An Parochus in tali dubio administrare suis parochianis possit Sacramenta?

7. Dubium de alio facto, quàm de homicidio nullam inducit irregularitatem.

8. Datur ratio, ob quam illud principium: in dubio tutior pars sit eligenda, in alijs dubiis non procedat.

9. Lex

9. Lex pœnalis ad casus similes, non tamen expressos, non extenditur.
10. Talis dubitans celebrando missam exponit se periculo violandi legem,
11. Et peccandi formaliter.
12. Lex hæc in utroque foro procedit.
13. In dubio tamen juris irregularitas non incurritur.
14. Dubitans de jure solùm speculative, potest habere dictamen practicum.
15. Quia dubium speculativum poterit deponere.
16. Dubitans de homicidio facto reliquas homicidæ statutas à jure pœnas, non incurrit.
17. Quia istæ certo, & non tantùm dubio homicidio sunt impositæ.
18. Mutilatio membri & homicidium quoad aliqua solùm æquiparantur.
19. Consulens alteri homicidium postea commissum est irregularis.
20. Talis Sacerdos celebrans incurrit magnum periculum peccandi,

§. Unicus.

Resolvitur Quæsitum.

Utrum etiam Irregularitas contrahatur, si post diligentem de facto homicidio requisitionem adhuc dubium maneat, an à se, vel ab alio homicidium fuerit commissum.

Respondeo, & dico talera, x
Sempronium scilicet in foro interno atque externo irregularitatem contraxisse.

Probatur conclusio ex cap. *ad audientiam*, cap. *significasti* cap. *penult. de homicidio*. Hæc leges, cum sint justæ, nec quadam falsa præsumptione nitantur: ideo in utroque foro locum habebunt, & idem judicium ferendum erit, si forum externum nulla falsa præsumptione nitatur, nec in pœnam sententia Judicis agentem damnet, uti citatis pluribus Auctoribus probat Thomas Sanchez in Decalogum *lib. 1. cap. 10. n. 11*. Probat. conclusi. 2. cap. *ad audientiam*. aperte loquitur de foro externo, ibi:

U u 2

ad

ad audientiam Apostolatus nostri pervenit. Et paulo inferius. vos convenit injungere Presbytero memorato &c. ergo talis in foro externo reputatur irregularis: sed ipsum Capitulum etiam asserit, illum in foro quoque interno irregularem esse: ergo in utroque foro erit irregularis. Prob. antec. ibidem habentur sequentia: poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus. Textui huic Glossa finalis subjungit: dicta posse concedi dispensando: ergo textus ille loquitur etiam de foro interno. Prob. conseq. egens dispensatione est in utroque foro irregularis: ergo cum dicitur talis egere dispensatione, etiam in foro interno erit irregularis.

Confirmatur. Thomas Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 23. n. 2. multis probat, verbum hoc: debet: importare regulariter præceptum, si materia, de qua tractatur, nihil aliud indicet: sed præceptum obligat in foro etiam interno: ergo ubi jus utitur hoc verbo: debet: loquitur de foro interno. Subsum, dictum Capitulum significasti. utitur hoc verbo debet: ibi: à sacerdotali offi-

cio abstinere debet: ergo etiam in foro interno.

Objicies 1. In dubio melior est conditio possidentis in omni genere: ergo quando dubium est, utrum homicidium fuerit à me commissum, non dabitur in conscientia irregularitas.

Resp. dist. antec. in dubio &c. nisi contrarium in certa materia & casu sit jure expressum, conc. antec. si contrarium sit ita expressum: negatur antec. est autem contrarium in jure expressum.

Objic. 2. Ut aliquis incurrat irregularitatem est necessaria ipsius judicis sententia, aut saltem declaratio: ergo ante istas non incurretur irregularitas in conscientia. Prob. antec. capit. ad audientiam de homicidio: habetur: vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret: sed hæc verba referuntur ad judicem: ergo &c.

Resp. Resolutionem hujus patere ex secunda nostræ conclusionis probatione.

Urgent: Si talis dubitans ipso facto incurrisset irregularitatem, ipsi

2
 ipsi non tantum fuisset prohibi-
 tum ministrare in sacris Ordini-
 bus, sed etiam in Minoribus :
 ergo, cum in his ultimis mini-
 strare ipsi non fuerit prohibi-
 tum, non incurrit talis dubius
 excommunicationem.

Resp. Per se eidem etiam
 prohibitum fuisse ministrare in
 Ordinibus Minoribus, ipsum
 autem Pontificem quoad hoc
 punctum cum ipso dispensare,
 qua dispensatione opus non fu-
 isset, si ille per Pontificem quo-
 ad Ordines Majores tantum ir-
 regularis declaratus & condem-
 natus fuisset.

Urgent: Grati dicitur, quod
 in Ordinibus Minoribus in di-
 cto Capitulo Pontifex dispensa-
 verit cum illo Clerico.

Resp. neg. habentur enim
 ibidem hæc sequentia: *poteris
 concedere, ut Minoribus Ordinibus
 sit contentus.* Sed hæc indicant
 dispensationem.

5
 4
 Objic. 3. Si nulla ratio faci-
 ens moraliter certum aliquod
 delictum habeatur, tunc non
 poterit aliquis in foro externo
 damnari ut reus: ergo in dubio
 nemo est irregularis. Prob. con-
 seq. Si talis esset irregularis, ta-

lis damnaretur ut irregularis, e-
 tiam si nullum delictum morali-
 ter certum daretur: ergo si ha-
 beri debet ratio moraliter certa,
 in dubio nemo est ut irregula-
 ris damnandus.

Resp. transeat antec. nego
 conseq. in probatione dist. an-
 tec. Talis damnaretur ut irregu-
 laris, licet nullum certum deli-
 ctum daretur, & hoc ideo, quia
 datur jus statuens pœnam in ta-
 li dubio, conc. præscindendo
 ab hoc jure, neg. conseq.

6
 Objic. 4. Saltem Parochus
 actualis de commisso à se homi-
 cidio dubitans non erit irregu-
 laris, sed poterit suis parochia-
 nis Sacramenta administrare:
 ergo &c. Prob. antec. hoc mo-
 do parochiani spoliarentur suo
 jure, quod habent ad exposcen-
 dam administrationem Sacra-
 mentorum: ergo non erit irre-
 gularis. Prob. conseq. si foret
 irregularis, tunc pars innocens
 spoliaretur suo jure: ergo Para-
 chus non evasit ex hoc irregula-
 ris. Prob. conseq. à pari. ne
 pars, seu conjux innocens spo-
 lietur suo jure, potest pars altera
 seu conjux dubia de valore sui
 matrimonii innocenti parti, si

petat, debitum reddere : ergo etiam Parochus in hoc dubio non erit irregularis, sed poterit Sacramenta administrare parochianis.

Resp. neg. antec. in probatione concessio antecedente neg. conseq. in probatione concessio iterum antecedente neg. conseq. disparitas est, quòd in casu Parochi, licet dubium sit, an Parochus sit reus homicidii, non tamen est dubium, sed certum, quòd in hoc dubio sit irregularis : cum ergo parochiani non habeant jus expetendi administrationem Sacramentorum ab irregulari, ideo parochiani non spoliarentur in dubio de irregularitate. Econtra in casu matrimonii valor matrimonii adhuc verè manet dubius : ergo in hoc dubio conjux innocens non est suo jure privandus

7 Objic. 5. Si in dubio de facto homicidio irregularitas incurritur, eadem etiam incurritur, quando est dubium de alio facto, quàm de homicidio : v.g. de commissa Simonia : at in aliis delictis, stante dubio, non incurritur irregularitas : ergo neque incurritur in dubio de ho-

micidio. Prob. maj. licet in cap. ad audientiam citato. Pontifex istud de solo homicidio statuatur, istud tamen statuit nixus illo naturali principio : *in dubio tutior pars est eligenda* : ergo etiam in dubio de aliis delictis incurretur irregularitas. Prob. conseq. hoc principium naturale habet locum etiam in dubiis de alio crimine inducente irregularitatem : ergo etiam idem dicendum erit in aliis delictis inducentibus irregularitatem.

Resp. neg. maj. in probatione concessio antecedente nego conseq. in probatione distinguo antecedens hoc principium habet etiam locum in aliis, si Legislator illo permotus hoc ipsum statuit de aliis criminibus irregularitatem inducentibus. conc. si hoc ipsum de aliis non statuit, sed potius contrarium : neg. antec. & conseq. Solum illud allatum principium non est adæquata & sola ratio conveniens, ut talis sit irregularis, sed ultima conveniens ratio est voluntas Legislatoris, qui illo principio fuit motus ad hoc statuendum, quin illud ipsum universaliter etiam de dubiis circa alia de-

delicta irregularitatem inducentibus statuerit.

8 Urgent: Non potest assignari fundamentum, ex quo colligatur, illud allatum principium: *in dubio tutior pars est eligenda*, locum non inveniat etiam in aliis dubiis: ergo nulla solutio.

Resp. neg. antec. fundamenti enim loco servit, quòd juxta omnia jura in dubio delicti reus sit absolvendus Reg. *favorabilior &c. 168. ff. de Reg. Juris. & Reg. cum sunt: eodem tit. in 6. ibi: cum sunt jura partium obscura, reo potius est favendum, quam auctori.* & cap. unico. verbo. *cum enim: ut Eccles. Benef. cum ergo dubium sit de facto, & reus non probetur commisisse illud crimen, ideo erit absolvendus, cum jura non statuerint, etiam in tali dubio esse imponendam irregularitatē.* Confirm. in dubio juris non debet aliquis haberi pro irregulari, sed in dubio de alio facto, num scilicet hoc inducat etiam irregularitatem, habetur dubium juris: ergo in tali casu non incurretur irregularitas. Prob. min. quæritur, seu dubium est, num lex aliqua detur, quæ statuatur aliquem pro irregulari habendum,

si dubium sit, num aliud crimen, vel factum commiserit, cui aliàs annexa est irregularitas: sed hoc utique est dubium juris: ergo &c.

Confirm. 2. Quoties manet factum dubium, toties manet delictum non probatum, sed quoties delictum non manet probatum, toties est reus absolvendus. Prob. min. *ex cap. unico. V. cum enim in Eccles. Benef. ibi enim hæc habentur: Cum enim Juris sit explorati, quòd auctore non probante is, qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debeat absolvi. id est, si reus etiam non probaverit, se esse liberum à delicto: ergo solus defectus probationis ex parte auctoris ad reum absolvendum sufficit.*

Urgent: Ratio, quæ Pontificem permovet, ut hoc statueret de dubio circa commissum homicidium, etiam pugnat pro dubiis circa alia facta: ergo nulla solutio. Prob. antec. Ratio fuerat, quia in dubio tutior pars est eligenda, sed hæc pugnat etiam pro dubiis circa alia facta: ergo &c.

Resp. neg. antec. in probatione conced. major. dist. min. pu-

pugnat hæc ratio etiam pro aliis dubiis, ita tamen, ut hæc ratio non fuerit aliquod principium necessariò obligans ad hoc statuendum: conc. ita ut illud solum fuerit principium necessariò obligans ad illud statuendum, negatur Illud adagium habebat duntaxat rationem cuiusdam optimi consilii, cui Pontifex ibidem inniteretur: hinc non erat tale principium, quod in aliis etiam materiis universaliter obligaret, videtur autem ad hoc in materia irregularitatis ob dubium in commisso homicidio incurse specialiter statuisse, quia homicidium videtur specialem cum Sacerdote personam Christi repræsentante indecentiam habere, qualem non videntur habere cætera delicta.

9 Urgent. Lex est extendenda ad casus similes, in quibus ratio expressa in lege invenitur juxta Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 42. n. 5. atqui hæc lex est talis: ergo ad similes casus erit extendenda. Resp. dist. maj. talis lex est extendenda ad alios tales casus, quoad pœnam, si de quadam loquatur: neg. quoad alia, quàm circa pœnam, conc. Si lex sit fa-

vorabilis, aut saltem non pœnalis, tunc est ita extendenda, conc. maj. & sic distincta min. neg. conseq. quòd lex quoad pœnam non sit ita extendenda: Ratio est, quòd talis lex non dependeat adæquatè à ratione illius, sed etiam à voluntate Legislatoris, talem pœnam statuentis. Quòd autem hoc vel maximè in irregularitate procedat, docet cap. 15, qui: de sentent. Excommun. in 6. quod dicit, non statuendam esse irregularitatem, quæ non sit à jure expressa.

Urgent: Quando agitur de¹⁰ periculo animæ, est tutior pars eligenda: sed agitur de periculo animæ, quando in aliis materiis dubitatur de incurse irregularitate, ergo etiam in dubio circa alia delicta est tutior pars eligenda, consequenter talis debet abstinere à celebratione Missæ, si tale dubium in aliis materiis habeatur. Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est: quòd fundamenta, quæ suadent, non fuisse incursum irregularitatem in dubio de aliis factis, sint efficacia, & hinc nullum penitus periculum animæ habeatur, eò quòd

quòd talis rationabiliter credere possit, se in hoc dubio nullam irregularitatem incurrisse.

11 Objic. 6. Si in dubio de commisso homicidio incurreretur irregularitas, ratio foret, quia in dubio tutior pars est eligenda: sed hæc ratio nulla est: ergo in tali dubio non incurritur irregularitas. Prob. min. non apparet, ex quo capite tutius sit abstinere à celebratione Missæ, & non ordinare talem, quàm eundem ordinare, & celebrare Missam: ergo hæc ratio nulla est.

Resp. concess. maj. neg. min. in hujus probatione neg. antec. & dico, ideo esse tutius talem non ordinare, vel Missam non dicere, quia hæc omittendo nulli periculo violandi præceptum Ecclesiasticum se talis dubius homicida exponit, cui tamen se talis exponit, si ordinatus Missam celebret, cùm enim Lex Ecclesiastica prohibeat, ne verus homicida Missam celebret, hinc cùm talis dubitans de homicidio possit esse verus homicida, ideo, si celebraret, exponit se periculo violandi legem Ecclesiasticam, & agendi con-

tra reverentiam Sacramento debitam.

Urgent: Talis, licet reipsa esset homicida, tamen non incurreret periculum ullius peccati: ergo nulla responsio. Prob. antec. Talis celebrando eo ipso, quòd dubius sit, non committeret peccatum formale, sed tantum materiale: ergo non incurreret periculum ullius peccati. Resp. neg. antec. uti etiam in probatione. Ratio est, quia talis scienter se exponeret periculo celebrandi ut homicida: ergo, cùm celebrare ut homicida sit peccatum, ideo se exponeret scienter periculo peccandi etiam formaliter, non secus, ac dubius, num post dumetum latens sit homo, vel brutum, si illud trajiciat, peccat formaliter, quia in dubio operatur.

Urgent: Possent dici, quòd hæc solum locum habeant, & procedant in foro interno, non autem in externo: ergo hætenus dicta non subsistunt. Resp. negando antec. quia eadem ratio est in foro externo, quia in hoc eadem regula: *in dubio tutior pars est eligenda.* Locum habet. Item

X x

Jura

Jura idem disponunt, ut patet in cap. ad audientiam de homicidio. & cap. ultimo de Presbyteris non baptizatis. Suarez, & Pyrrhing. de homicidio n. 59.

14 Objic. 7. Si irregularitas incurritur in dubio de facto, etiam incurretur in dubio juris, seu quando dubitatur, an irregularitas ob tale delictum sit lata, vel non: sequela est falsa: ergo etiam id, unde hæc sequitur. Prob. sequela, etiam talis se exponit periculo committendi irreverentiam, & peccatum, in quantum celebrat dubius, utrum non sit irregularis.

Resp. neg. seq. majoris in hujus probatione: neg. antec. eo ipso enim, quod jura non statuerint, ut in dubio juris se quis gerat irregularem, stante tali dubio non incurritur periculum violandi legem aliquam, quod autem jura non statuerint, ut quis in dubio juris se irregularem gerat, probatur primò ex eo, quod in cap. Is, qui. 10. de sententia excommunicationis. dicatur, quod irregularitas non incurritur, nisi id in jure sit expressum. 2. dò Canones, qui inducunt irregularitatem, cum dubitatur

de homicidio. Qui sunt cap. ad audientiam. 12. cap. significasti. 18. & cap. penult. de homicidio. loquuntur de dubio commissi homicidii, hoc est, de dubio facti: ergo non debent extendi ad dubium juris. 3. Dissimilis est ratio dubii juris, & dubii facti, quia quamvis irregularitas procedat ex facto, tanquam ex radice vel occasione, tamen per se oritur ex jure, quod illam statuit, tanquam ex causa efficiente; & ideo, si jus sit dubium vel incertum, non potest inducere irregularitatem. Verum, quamvis falsum sit dubium, potest tamen jus esse certum, quod statuit in eo dubio facti irregularitatem. Ita Sanchez lib. 2. Moralium. c. 10. n. 42.

Dein, quando jus non est certum seu dubium, nulla fit ei injuria, etiamsi ei contrarium fiat, nec est morale ejus periculum, quale esse potest, cum jus est certum, factum verò solum est dubium. Suarez.

Objic. 8. Nunquam licet operari in dubio: ergo neque in dubio juris. Probatur antecedens. Quælibet operatio debet procedere ex dictamine firmo atque

atque stabili, sed quando operamur in dubio, operatio non procedit ex dictamine firmo & stabili: ergo non possumus operari in dubio. Prob. min. dubius omnino nullum habet dictamen: ergo operantis in dubio actio non procedit ex dictamine firmo & stabili.

Resp. neg. antec. in hujus probatione concessa maj. neg. min. in hujus probatione dist. antec. dubitans practice omnino nullum habet dictamen conc. dubitans speculative tantum non habet ullum dictamen, negatur antec. & conseq.

16 Urgent: Si dubitat speculative, tunc hoc ipso etiam dubitat practice: ergo in dubio juris non potest operari. Prob. antec. ex dubio speculativo sequitur dubium practicum: ergo si dubitat speculative, etiam dubitat practice. Prob. antec. dubium speculativum seu Juris consistit in hoc, quod dubitet, utrum incurrit irregularitatem: sed ex hoc oritur dubium practicum: ergo ex dubio speculativo oritur practicum. Prob. min. si dubito utrum incurrerim per tale factum irregularitatem, tunc dubito u-

trum non sim inhabilis: sed quando dubito, utrum non sim inhabilis, dubito etiam practice: ergo si dubito speculative, dubito etiam practice. Prob. min. si dubito, utrum non sim inhabilis ad Missam dicendam, tunc dubito, an liceat mihi legere Missam; sed dubitare, num mihi liceat legere Missam, est dubium practicum: ergo si dubito, num non sim inhabilis, habeo etiam dubium practicum.

Resp. dist. hujus ultimi syllogismi maj. Si dubito, num sim inhabilis, dubito, an liceat mihi legere Missam, ita tamen, ut hoc dubium possem deponere: conced. ut illud non possem deponere: neg. maj. & transmissa minore; dist. conseq. ergo habeo dubium practicum, si hoc non deponam: conc. conseq. si me resolvendo illud deponam, neg. conseq.

Urgent: Non potest ostendi modus, nec ratio, ex qua talis dubitans de jure possit se resolvere, quod liceat sibi legere Missam: ergo nulla solutio. Resp. neg. antec. & dico posse illum hoc modo argumentari: quando possum prudenter judicare, quod

quòd sim habilis, & nequaquam irregularis, tunc licet mihi Missam legere, sed prudenter iudico, me non esse irregularem, sed habilem: ergo possum legere Missam. Minorem ita probant: omnibus expensis non constat quòd huic meo delicto sit annexa irregularitas: sed in hoc casu non sum irregularis, sed habilis ad legendum Sacrum: ergo sum habilis. Prob. min. non debet quis se gerere irregularem, nisi irregularitas sit expressa in iure: ergo, si mihi non constat, quòd hæc sit pro meo delicto expressa, non incurri irregularitatem.

Urgent: Si potest aliquis se ita resolvere in dubio juris, poterit etiam in dubio facti: ergo &c. Prob. antec. potest etiam se resolvere dicendo: in dubio melior est conditio possidentis, item si non sufficienter probetur, quòd sim reus, tunc sum absolvendus: in dubio autem non est sufficienter probatum, quòd sim reus: ergo sum absolvendus.

Resp. neg. antec. in probatione nego, quòd in hoc casu istis principiis sit locus: Ratio est, quia irregularitas non solum est impo-

sita iis, qui certi sunt de homicidio à se commissio, sed etiam iis, qui dubitant de hoc: ergo cum ponatur talis dubitare, agnoscit se incurrisse irregularitatem, & consequenter se certò scit inhabilem esse, & non posse legere Missam.

Objic. 9. In dubio facti homicidii dubitans non incurrit cæteras pœnas homicidæ statutas: ergo neque incurrit irregularitatem. Prob. conseq. omnes hujusmodi pœnæ sunt statutz homicidis: ergo si unam illarum aliquis incurrit, etiam incurrit cæteras, antecedens prius etiam constat, nam dubitans homicida non amittit beneficium antea possessum.

Resp. conc. antec. neg. conseq. in probatione distingo antec. omnes ejusmodi pœnæ sunt statutz pro homicidis, modo tamen inæquali: conced. antec. sunt statutz modo æquali: neg. antec. & conseq. Ex jure habetur, quòd irregularitas sit etiam statuta pro dubitante de homicidio à se commissio.

Urgent: Si reliquæ pœnæ non incurruntur à dubitante de facto homicidio, tunc etiam non incurretur

retur irregularitas : ergo nulla solutio. Prob. conseq. eadem ratio pugnat pro utrisque : ergo &c. Prob. antec. ideo reliquæ pœnæ non incurruntur , quia pœnæ ordinariæ certo delicto impositæ non debent imponi propter delictum dubium : sed hæc ratio pugnat etiam pro irregularitate : ergo &c.

Resp. neg. antec. in probatione neg. antec. in hujus probatione dist. antec. ideo pœnæ reliquæ non incurruntur à dubitante de homicidio , quia pœna ordinaria non debet imponi delicto incerto , nisi expressè jura etiam certam pœnam imponant delicto dubio. conced. antec. si jura imponant pœnam delicto etiam dubio , neg. antec. & conseq.

18 Objic. 10. Ponamus , quòd dubitem , an aliquem mutilaverim membro , vel hic etiam debet se gerere irregularem , vel non ? neutrum potest dici : ergo &c. quòd non debeat se gerere ut irregularem , probatur. Jura faciunt tantum mentionem de dubitante de homicidio , non autem de dubitante circa mutilationem : ergo talis de mutila-

tione dubitans non erit irregularis. Quòd autem debeat se gerere ut irregularem , probatur : mutilatio in membro æquiparatur homicidio : ergo quod de homicidio est statutum , est etiam statutum de mutilatione.

Resp. dist. hoc ultimum : mutilatio & homicidium æquiparantur inter se quoad omnia , negatur : quoad aliqua , conc. Ratio est , quòd Ecclesia non sit tam rigida , ut pœnam pro homicidio expressè latam extendat ad mutilationem.

Objic. 11. Ponamus , quòd¹⁹ aliquis alteri consilium dederit ad quoddam homicidium committendum , dubitat autem , num suum consilium influxerit in homicidium , saltem talis dubius non tenetur se gerere ut irregularem. Prob. ante in dubio est melior conditio possidentis : ergo &c.

Resp. neg. antec. Ratio est , quia etiam hic est dubium facti , num scilicet propinatio v. g. veneni fuerit facta ex tali consilio.

Urgent , in hoc casu est possessio pro consulente : ergo. Resp. neg. antec. Ratio est , quòd contra talem stet præsumptio ju-

ris præsumptis, quòd alter non comisset homicidium non adhibito tali consilio, quia in dubio nullus præsumitur delictum commissurus.

Urgent: quando dicitur causantem homicidium fieri irregularem, juxta Tamburinum de irregularitate *cap. 5. n. 11.* est solum sermo de causa physica: ergo consulens non incurrit irregularitatem. Resp. communissimam sententiam tenere contrarium, quòd talis moralis causa concurrens censeatur propriè causare mortem, quod colligi potest *ex cap. Petrus de homicidio voluntario*: ubi dicitur, & declaratur, non habendum esse veluti homicidam, qui causam

vel occasionem non dedit homicidio.

Objic. 12. Pontifex dicit in^{2o} celebratione talis dubitantis Sacerdotis esse magnum periculum: ergo non certum est talem esse irregularem, & hinc celebrando certò peccare. Resp. dist. antec. cum Sanchezio *disp. 40. sect. 6. num. 8.* dicit esse magnum periculum peccandi: neg. antec. dicit esse magnum periculum seu incommodum in eo situm, quòd verus homicida celebret. conc. antec. & nego consequ. in tali casu certum est celebrantem peccare.



Ca-